

1928 K 944  
OBSERVATIONES IVRIS CONTROVERSI

QVAS

PRAE S I D E

CAROLO FRIDERICO  
TRILLERO

PHIL. ET IVR. DOCTORE ET POET. CAES. LAVR.

EX NVMERØ EORVM QVI SVB EIVS AVSPICIIS SE IN DISSE-  
REND O ET SCRIBEND O EXERCENT

DIE XXII. SEPTBR. A. R. S. MDCCXCVII.

H. L. Q. C.

FVBLICAE DISCEPTATIONI SVMMITTIT

A V C T O R

CAROLVS FRIDERICVS KVNA TH  
VITEBERGA SAXO.

VITEMBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1797



CAROLO HERIBERTICO  
TRILLERO.

I.

*Quatenus diuisio VLPIANI contractuum in certos et incertos praeferenda videatur illi DD. in nominatos et innominatos.*

**Q**uemlibet qui primoribus tantum labris iurisprudentiam gauit, non fugiet diuisio illa contractuum, sec. quam DD. eos vel nominatos vel innominatos esse censem. *Nominatos* plerumque eos esse definiunt, qui praeter causam ciuiliter obligantem, formam, sive nomen a lege ciuili habent, actionemque producent propriam et cognominem. *Innominatos* autem eos, qui praeter causam ciuiliter obligantem absque propria forma, proprio nomine, actionem speciali nomine contractus carentem eique non soli propriam, producunt. Nominatorum exempla sunt mutuum, ex quo nascitur conditio certi ex mutuo, emtio venditio, vnde oritur actio emti venditi etc. et numero vero innominatorum habes contractum do ut facias etc. contractum aestimatorum et permutationis ex quibus datur actio generalis praescriptis verbis, quibus a BERGERO et aliis adduntur contractus suffragii, assecurationis et cambiis BERG. *Oec. iur. l. 3. t. 7. §. 4. f. 6.* et a b. *Hommelio* contractus feudalis, sed minus recte. Fundamentum igitur diuidendi sec. receptas definitions non peti debet ex ipso contractuum nomine; alias contr. aestimatorius etc. non essent


= = = = =

essent innominati. Innominatum enim est omne id, quod nomen non habet. Potius ex eo petitur, an actio ex aliquo contractu competit, huius contractus nomine insignita, nec ne. HOEPENER in *Comment. ad Inst. l.3. t.14. §. 749.* Refinent autem contractus non nulli innominati, notam specificam, quae etiam attribuitur nominatis, id quod contra regulam Logices est secundum quam: Cuius vis divisionis membra pure debent esse separata. Nonnulli, quibus haec divisione claudicare videbatur, stabilire eam volebant, id agentes, ut innominatos subdividerent in regulares et irregulares. At enim vero, secundum fundamentum dividendi non satis apte electa mihi videntur vocabula, quibus notantur huius divisionis membra. Potius igitur retineanda est, sicuti mihi videtur, quod salua vero aliorum auctoritate dixerim, illa generalis et aptior divisione in certos et incertos contractus, quam habet VLPIANVS in *l.9. pr. D. de rebus creditis*, cui assentit CAIUS in *l.47. D. de V.O.* Nam cum certum sit omne id, cuius species, vel quantitas, qualis quantaque sit, ostenditur *l.6. D. de cred. j. l.74. §.1.* *D. de V.O.* negandum non est, certos contractus esse eos in quibus per leges omnia sunt specialiter definita. Incertos in quibus non omnia sunt specialiter definita, cuius rei rationem assert GOTHOFF, ad *l.3. π. de praefscr. verb.*

## II.

*An ex cultro quem quis secum habuit, praesumendum sit animus homicidium committendi.*

Nimis iniustae immo atro carbone notandae fuerunt sententiae istius tribunalis, quod fuit sub tyrannide viri, nostris temporibus, ob acerissimum imperium, quod in Franco-Gallia geflit, nomine Robespierre, notissimi, qui per scelerata, velut alter Herofstratus, famosum reddidit. Innumeros enim iniusto modo carnicidi necando tradidit, inter quos puella Parisiana, filia fabricatoris et negotiatoris chartae scriptoriae simulque chartarum lusoriarum, CECILIA RENAULT, ultimo supplicio affecta est, et quidem ea de causa, quoniam, cum instituendum



dum colloquium cum tyranno desideraret, duos cultellos secum habere reperiebant, ex quibus praefumebatur, eam tyranno insidias vitae struxisse v. Reuolut. Almen. d. 1795. N. XIII. p. 227. Semper enim ad animum laedendi in delictis puniendis accurate est respiciendum, vbi iudicis arbitrio exacto semper relictum est, vt, ex quibus instrumentis hic animus laedendi in homicidio praesumi possit, aeflimer. CARPZ. Pract. rec. crim. qu. 3. n. 7. BERG. El. Iurispr. crim. M. 3. §. 4. p. 92. Et haud spernenda illa sententia DD. est, qui talem animum semper exusu eiusmodi instrumentorum praesumi posse contendunt, quae nomine armorum insigniuntur KOCH. Inst. Iur. crim. §. 121 seqq. Cum vero sub appellatione armorum aut telorum, quod idem est, sec. l. 3. §. 2. D. de vi et vi armat. omnia ea comprehendantur instrumenta, quibus saluti hominis nocere possumus l. u. §. 1. D. de vi publ. nemo negare poterit, huic appellationi telorum, a fine, habilitate et vsu etiam cultrum accedere v. GOEDDAEVS ad l. 233. D. d. V. S. praesertim cum clara iuris WEICHBILD. dispositio art. 33. hanc firmet sententiam. Attamen omnia haec intelligenda sunt de eo casu vbi laesio aut vulneratio reuera facta, aut homicidium commissum est. Nullo vero modo in nostro casu eorum inquam fieri poterit applicatio, quoniam hic non de tali constat delicto, sed sententia lata fuit ex solis praesumptionibus, quod miserrima tale factum commissura fortassis fuisset. Neminem vero in criminalibus, ex urgentissimis licet praesumptionibus, condemnari posse, in dubitate juris est, plena enim peracta probatione constare debet de certitudine corporis delicti v. BERLICH Conclus. pract. P. IV. Conf. 46. n. 6. Vti enim teste b. HOMMELIO Vietor profure violento haberri nequit, qui instrumenta officii exercendi secum gessit, cum furtum committeret, ita et homicidium, ex solius cultri possessione comittendum, praesumi nequit.

III. An



5

## III.

An, nocte effundens aut deiciens et Studiosus, teneantur ex Edicto de  
deiectionis et effusis, disquiritur.

Vt quilibet locus, per quem vulgo iter fit, ab omni vexatione atque perturbatione praetereruntum immunis sit atque liber, ita ut sine periculo aut metu ibi commeari atque incidi possit, in sumnum publicae utilitatis atque securitatis fauorem l. i. §. 1. D. de his qui effuderint aut deiecerint, iamiam Praetor Romanus Edictum promulgauit, quo prospexit his locis, ne quid in eos effundatur aut deieciatur, et per plateas euntibus, aut locis illis verfantibus, damnum inferatur. Cum vero effundendo aut deiciendo damnum datum sit, laeso dat Praetor actionem infactum de deiectione et effuso. Cuius damni restitutio etiam ex L. Aqvil. peti potest, si certo constat quis deiecit, aut si ipse inhabitator deiecit l. 5. §. 4. eod. Sed haec nostra actio pinguior est illa. Cum vero saepissime certo, quis deiecerit aut effuderit, compertum haberi non possit l. 2. D. eod. datur haec actio contra inhabitatorem aedium, unde effusum est l. 1. §. 4. D. eod. partim, vt eo promptius executio detur, partim quia ad fundandam hanc actionem solummodo sufficit effusionis factum, nulla inhabitatoris culpare ratione STRYK Vf. mod. π. h. t. §. 1. Adell autem vel vera inhabitatoris culpa, si ipse nocuit, aut praesumta, quae eorum ex facto, quos temere recepit, ei imputatur. Nam et suam et suorum culpam praefastare debet. l. 6. §. 2. D. eod. Omissis reliquis de hac materia, quaestionebus licebit mihi de nonnullis saluummodo disquirere. Datur etiam haec actio, si effusio facta est in locum priuatum, si per eum vulgo iter fit, l. 1. §. 2. D. eod. non vero si locus est secretus, vbi vulgo iter non fit, singularem casum habet, GELL. N. A. l. 4. c. 14. An vero nocte effusione facta? Labeo negat, dari tunc hanc actionem: sed bene ei respondet VLPIANVS: sed quibusdam locis, ait etiam nocte iter fit, l. 6. §. 1. D. eod. ad quam legem Raphael Fulgosius Glossator, (quod salua dixerim venia) quasi vrinalem adpersit glossam vid. GOTHOFR. ad d. l. In Labeonis sententiam quoque it SCHOPFERVS Synops. iur. h. t. n. 2. si sc. effusione laesus circa medium noctem



noctem sine candela ambulat. sed relictissime eum refutat LVBovic:  
*Docr. Pand. h. t. §. 1.* Studiosum vero ill. BERGERVS duplice de  
 caussa liberat ab hac actione. Quarum prima; quoniam lex loqui-  
 tur de effusione facta e coenaculo; studiosus vero non in coenaculo,  
 sed museo vensaret, quod etiam ad cubicula spectat, quia valde di-  
 versa sint a coenaculis *arg. l. 5. §. 2. D. eod.* ad quod discrimen etiam  
 alludit ALCIATVS *Parerg. iur. l. 12. c. 2.* Altera denique est, quod  
 studiosus proprie non habet sed tantum hospitetur et studiorum  
 caussa peregrinatur, quamobrem significatus habitaboris in *l. 5. §. 9.*  
*D. eod.* in eum non possit applicari, potius hospitis. Hospes vero  
 non tenetur sed, qui hospitium dedit sec. leg. cit. v. BERG. *Oec. Iur. l. 3.*  
*t. 12. §. 3. n. 2.* et in *Tract. de usu actionum cum rei perfec. tum imprimit*  
*pocualium Part. II. §. 33.* Sed tamen haud impune effundit, nam qui  
 hospitium concessit, licet is pro hospite teneatur, tamen ei saluus est  
 contra hospitem regressus, *l. 5. §. 4. D. h. t.* quod etiam omnino ae-  
 quitati respondet.

## IV.

*Minoris aetatis Doctor Iuris laetus, an gaudeat beneficio restitutioonis  
 in integrum.*

**R**estitutio in integrum, in genere est reductio in pristinum statum.  
 Ea fit ex capite gratiae a Principe, et ex capite iustitiae a iudice sec.  
 leges. Iure Romano hoc beneficium vel tribuebat ipsa lex ciuilis vel  
 Praetor; unde habes restituciones et ciuiles et praetorias. Praetor mul-  
 tis, vt notum est, ex causis restituebat. Silentio reliquis caussis praec-  
 termisssis, vnam hic nomine, scilicet ob minorem aetatem. Cuius enim aet-  
 atis homines, fragilis, infirmi atque levius ingenii putantur, *l. 1. pr. D. de*  
*minor. XXV. amis.* *l. 24. §. 2. D. eod.* eaque de causa ad negotia obliga-  
 toria expedienda non satis sunt idonei. Quae tam fauorabilis est caussa,  
 vt hic Praetor ipse restituat, *arg. l. 24. §. fin. D. eod.* cum in aliis causis  
 det iudicem pedaneum sunt. Sed iam quaeritur: An minor qui tanta  
 imbutus est iuris scientia, vt antequam maior factus, Doctoris juris  
 digni-

dignitatem natus sit, hoius beneficij iuris particeps fieri possit. Non nulli DD. ei satis strenue omnem denegant restitucionem in integrum. BRANCHORST, *Miscell. iur. controv. Cent. I. Affect. 28.* SFORT, ODDVS, de restit. P. I. qu. 32. art. 7. Dixi satis strenue omnem ei abnegari restitucionem. Sed quæflio haec facili negotio componi, atque excuti potest, accurata facta negotiorum distinctione. Nam cum ab leuitatem ingenii minoribus concedatur restitutio, dignitas autem Doctoris iuris et illa iuris peritia, ab quam hunc accepit gradum, non tollat hanc imperitiam atque leuitatem iis in negotiis, quae singularem iuris notitiam non requirent, e. g. oeconomicis aut aliis rebus, quae facti sunt; v. c. si emerit, rem cuius ignorat internam qualitatem et in qua emtione enormiter laesus fuerit; non deneganda erit ei restitutio, quia eius causa sublata non est. I. 25. pr. §. 1. D. de probat. I. 1. C. qui et adv. quos. Alter sese res habebit, si minor eiusmodi, restitucionem petere velit intuitu rerum, quae ad iurisprudentiam, quam proficitur; spectant. Tunc ad hanc leuitatem ingenii prouocare non potest, quia quasi propriam turpitudinem, si imperitiam iuris, confiteretur, si v. c. vellet restituui contra gesta cum eo in iudicio, contra neglecta fatalia; intuitu quorum alias restitutio minoribus denegari non solet. O. P. R. tit. 9. §. 4. et HANACCIS *ius iudicarium*, tit. IX. §. 7. Erraret enim ex ignorantia iuris, turpe autem est ICto, ius, in quo versatur, ignorare, I. 2, de I. Ign. Huic accedit brocardicum iuris. Cessante causa cessat quoque effectus: Causa restitutiois est ob minorem actatem, inhabilitas gerendi negotia, quae in Doctore iuris adesse non praesumitur, propter peritiam, obquam dignitate doctorali dignus fuit pronunciatus. Cessat igitur causa restitutiois, ergo etiam restitutio ipsa. Cum porro facio in iurisprudentia noceat ignorantia iuris, si Iurisconsulti copiam habet, multo magis ei nocere debet, qui initiatuus est sacris THEMIDOS I. 9. §. 3. D. de iur. et fact. ignor. Quoniam denique imperitia culpare annumeratur I. 29. D. de R. I. et culpa hanc leuis est, si quis ex iuris, quam proficitur, imperitia peccat; quod probatur ex poena iudicis male iudicantis et medici malecurantis §. 7. Inf. de L. AQYIL. Damnum autem, quod quis sua culpa sentit non intelligitur sentire, sed sibi, non aliis imputare debet I. 29. D. et R. I. j. c. 86. de reg. iur. 6. Iurisperitus



peritus laesus sibi ipse imputet, et quod ab omnibus iudicetur indignus,  
cui concedatur restitutio. STRV. Syntagm. iur. civ. exerc. IX. thes. 55.  
BERG. Oec. iur. l. 3. r. 15. §. 15. not. 4. VINNIUS, Sel. quaeſt. l. 1. c. 15.

*Qui inscius deforatam pro virgine uxorem dicit recte ad dissoluendum  
matrimonium agit.*

Quemadmodum eentio illa rescinditur, vbi pro virgine mulier mihi  
vendita fuit, l. n. §. 1. D. de contrah. emt. vendit. j. l. n. §. 5. D. de  
aff. emt. sic etiam ex vtili harum legum interpretatione apud GOTHOFR.  
ad l. l. hoc matrimonio statum non erit, si pro virgine in-  
tegra, iam vitiata et corrupta mihi iungatur. Nam primum sec. l. 2.  
§. 3. D. ad S. C. VELLEI. iura deceptis non decipientibus opitulantur.  
Quibus accedit error ex parte eius, qui matrimonium init, quique  
euitari non potuit, quoniam et inquisitio huius rei in suminam de-  
sponsatae fieret iniuriam, et puellae viti sui meniores, satis caute hoc  
celare student, ita vt sponsus hoc nunquam compertum habere possit.  
Nec quoque sufficiet hic suspicio, quam fortassis concipiet ex eo,  
quod sint, qui vulgo hunc statum sponsae indicare velint corruptum,  
per sparitionem dissecorum culmorum straminis Germ. Heckerling  
ſtreuen; de qua iniuria sponsae illata, singularis exstat ANONYMI Tract.  
Talis vero error in substantialibus matrimonium vitiat sec. c. 26.  
X. de sponsal. cum matrimonium solo consensu contrahatur sicuti  
eentio l. 2. D. de R. N. l. 30. D. de R. I. j. l. 9. prime. D. de contrah.  
emt. Error vero inuincibilis si consensum impedit. l. 16. §. 2. D.  
de R. I. hoc idem est, ac si crearet diffensum, ita, vt probato errore,  
diffensus probatus sit. GOTHOFR. ad d. l. 9. per se apparet matrimo-  
nium tale nullum esse cfr. l. 35. D. de R. I. Plures et haud spernen-  
das rationes tale dissoluendi matrimonium habet, c. i. C. 32. qu. i. et  
Nouella Leonis 93. Hanc etiam in praxi receptam esse sententiam pro-  
bant CARPZ. de fin. confit. l. 2. def. 193. RICHTER P. I. dec. 90. BER-  
LICH decis. aur. Part. II. decis. 299. n. 1.

Wittenberg, Diss.; Ergbd. 8, 1797-1801



vol 18

f

70>00

86.





1928 K 944  
L 672

OBSERVATIONES IVRIS CONTROVERSI

QVAS

PRAE SIDE

CAROLO FRIDERICO  
TRILLERO

PHIL. ET IVR. DOCTORE ET POET. CAES. LAVR.

EX NUMERO EORVM QVI SVB EIVS AVSPICIIS SE IN DISSE-  
REND O ET SCRIBEND O EXERCENT

DIE XXII. SEPTBR. A. R. S. MDCCXCVII.

H. L. Q. C.

PUBLICAE DISCETATIONI SVMITTIT

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS KVNA TH  
VITEBERGA SAXO.

VITEMBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHIL.

1797

